

Bituminis Judaici, vel ejus loco succini albi
præparati,
Radicis calami aromatici , singulorum p.
drachmas duas,
Mellis despumati triplum omnium pondus.
MIXTURA eodem modo perfici debet, ac in
Mithridatio præscriptum est.

N O T A.

ELECTARIA , si arescant, ad debitam crassitudinem , vino Canarino admisto , redigenda sunt; sed neque syrupo, nec melle: hac ratione dosis minime incerta fiet; quod in iis, quæ syrupo conficiuntur, et opio abundant, qualis sunt confeccio Paulina et Philonium, in primis caveri debet.

AQUÆ MEDICA-
MENTOSÆ.

AQUA ALUMINOSA BATEANA.

R. Aluminis,
Vitrioli albi , singulorum p. unciam dimidiam,
Aquæ m. libras duas.

SALES in aqua coquendo solve, et cum fæces subsederint, liquor per chartam coletur.

AQUA SAPPHIRINA.

R. Aquæ calcis m. libram unam,
Salis ammoniaci p. drachmam unam,

STENT

STENT simul in vase cupreo, vel cum bracteis aliquot cupri, donec aqua colorem sapphirinum acquisiverit.

AQUA VITRIOLICA CÆRULEA.

Rx. Vitrioli cærulei p. uncias tres,
Aluminis,
Spiritus vitrioli fortis, olei dicti, singulorum
p. uncias duas,
Aquæ m. sesquilibram.

S A L E S in aqua coque, ut solvantur; deinde
oleum vitrioli addatur, et mixtura per chartam
coletur.

AQUA VITRIOLICA CAMPHORATA.

Rx. Vitrioli albi p. unciam dimidiam,
Camphoræ p. drachmas duas,
Aquæ bullientis m. libras duas.

MISCE, ut vitriolum solvatur, et, postquam
fæces subsederint, per chartam cola.

LOTIO SAPONACEA.

Rx. Aquæ roscarum Damascenarum m. uncias
duodecim,
Olei olivarum m. uncias quatuor,
Lixivii tartari m. unciam dimidiam.

L I X I V I U M tartari et oleum olivarum simul
tere, donec misceantur; deinde aquam paulatim
adde.